





Num. 9.

15.

1731, 14.

DISSERTATIO JURIDICA
DE

LAUDE MIO

OCCASIONE

CONSTITUTIONIS ELECTORALIS SAXONICÆ

P. 189
Von der *Lehn =* *Maare*

QUAM CONSENSU

ILLUSTRIS FCTORUM ORDINIS

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRÆSIDE

DN. ABRAHAMO KÆSTNERO

JURIUM DOCTORE ET PRACTICO

MODERATO ERUDITORUM EXAMINI

SUBJICIT

AUTOR, RESPONDENS

CHRISTIANUS GOTTLOB MANTEY

BUDISS. LUSAT.

—
DIE XXX. MARTII A. O. R. MDCC XXXI.
—


LIPSIÆ

TYPIS JOH. HENRICI RICHTERI.



DISSERTATIO JURIDICA
 DE
L A U D E M I O
 OCCASIONE
 CONSTITUTIONIS ELECTORIS SAXONICAE
 QUAM CONSSENSU
 ILLUSTRIS ACACADEMIAE IURIS
 IN ACADEMIA IURIS
 PRESIDE
 DR. ABRAHAMO KASTNERO
 JURUM DOCTORE ET PRACTICO
 MODELLATO ERUDITIONUM EXAMINI
 SUBIIT
 AUTOR, RESPONDENS
 CHRISTIANUS GOTTLIB MANTZ

DIE XXX. MARTII A. O. R. 1771.



A. F. R. A. M.
 JOH. HENRICH RICHTER



PERILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DN. FRIDER. CASPARO
SAC. R. IMP. COMITI
DE GERSDORFF
POTENTISSIMI REGIS POLONIARUM
ET ELECTORIS SAXONIÆ
PRÆFECTURARUM SUPERIORIS LUSATIÆ
DIRECTORI PRIMARIO
CLAVIGERO, CONSILIARIO
AULÆ ATQUE JUSTITIÆ
DYNASTÆ
IN KAUPE, KLIX, UHIST, LIPPEN, BOLLBRITZ,
RATTWITZ, LEICHNAMB, SALGE
ETC.

DOMINO ET MÆCENATI MEO
LONGE GRATIOSO
RELIGIOSO OBSEQUII CULTU
DEVENERANDO.

COMES ILLUSTRISIME

MÆCENAS GRATIOSISIME



*Ertisimum audaciæ
opus videretur, dum*

NOMEN TUUM
ILLUSTRISSI-

MUM *immaturo huic scripto præfigere
audeo, nisi humanitas nunquam satis lau-
data,*

data, qua **ILL. TUA DIGNITAS** illos,
qui studiis operam navant, & quidem ita,
ut aliquando Reipublicæ utiliter inservire
possint, prosequi solet, satis superque cogni-
ta mihi esset; Sinas itaque, **COMES IL-
LUSTRISSIME**, ut etiam hoc modo via,
qua Patrocinio **TUO** in posterum frui pos-
sum, aperiatur, mihi que contingat felicitas
de Gratia Tua obtenta in sinu cum aliis gau-
dere atque congratulari. Suscipe igitur
serena fronte primitias studiorum meorum,
& non tam ipsam opellam, quam devotum
offerentis respice animum. Quod superest,
Numen Immortale supplicibus defatigabo
precibus, ut **TE** inter mortales diutissime
salvum sospitemque relinquere velit, quo,
uti soles, calumniantium iniquitates per le-
gitimos

*gitimos tramites expellere, Regi Potentis-
simo atque Electori Serenissimo nostro,
Patriæ Familiæque Illustrissimæ, sine ulla
invidia & adversæ fortunæ obstaculo, ad
Nestoreos usque annos prodesse queas; Et,
quod caput est, honor summi in cælis DEI,
per TE promoveatur. Vale, atque Patro-
cinio TUO & favore haud dedignare*

ILLUSTRISSIMI TUI NOMINIS

Devotissimum Cultorem

CHRISTIAN. GOTTLOB. MANTEY.



PRÆFAMEN.



Nceps equidem hærebam paulisper, specimen industriæ academicæ conscripturus, in quam vastissimi juris dissertatione potissimum operam collocarem; Diutius vero hære non poteram, ubi Thema, quo de rubrica est concepta, in mentem veniebat, præprimis, quia de juris romani tricis ac longe ab usu remotis, quibus quidem nonnulli, otio ingenioque abundantes, quique non tam prodesse, quam videri volunt, mirifice delectantur, disputare minime volui, sed jamdiu de tali materia, quæ usum practicum præ se ferat, cogitavi, cum materias, quæ dignitate nobiliores, cogitatione utiliores, utilitate ponderosiores, usu denique & praxi frequentiores sunt, pertractari expediat. *v. l. 25. π. de lib. leg.* Eo lubentius autem Thema semel electum retinendum esse censui, quoniam simul ex jure patrio est desumptum, *vid. Lusat. super. & inf. Ordin. Feud. s. und obwobl.* Hoc enim ignorare, Patricio, Nobili

Nobili & causas oranti, turpe dicitur in l. 2. §. 43. de O. F. Objiciant licet, de laudemis multa jam extare; sit ita; Notus est nobis, ad quem plerique confugiunt, FRANTZKIUS de laudemis. Scimus BLANCARDUM, de laudemio; BOREL-LUM, de laudemis; BURGIIUM, de laudemiorum juribus; AMÆDEI a PONTE, & ANTON. FABRI, *questiones laudemiales*; Non ignoramus SCHILTERI dissertationem: *De bonis laudemialibus*; ROTHII, de laudemis; LEYSERI, de probatione laudemii per libros censuales & literas investiture; TENZELII, de laudemio, ejusdemque contra legem publicam prohibitive prescriptione, alias plures; Tantum tamen abest, ut animum abjiciam, quin potius eo alacrius ad elaborationem me accingam; Etsi etiam nihil aliud proferrem, quam illud, quod Doctorum jam fecit turba; Alia tamen incedam via; Et, nisi me omnia fallant, forsan etiam hic quædam reperiuntur, quæ plane lectu indigna non videbuntur; Qui vero vel alienis, exteris, difficilioribus, gravioribus &c. tantum delectatur, vel non nisi catulum suum lambere contentus est, is, his solummodo lectis, dissertationem præsentem abjicere, tempusque suum quo velimodo utilius consumere potest; Trahit enim sua quemque voluptas. Unicum interim hic omittere nolui; Est *Constitutio*, quæ occasionem dissertationi dedit, de laudemio; von der Lehn-Waare, (quæ in Appendice Corp. Jur. Saxon. d. A. 1672. p. 66. it. in Codice Augusto P. I. p. 131. evolvi potest) una ex illis, quas vulgo non editas, vel etiam *novissimas* appellare solemus; Hinc animus etiam erat, hoc loco harum Constitutionum historiam recensere; ne vero in præfatione nimis longus videar, & ab initio Lectori nauseam creem, remitto eum ad relationem D. MICHAELIS TEUBERI, Ordinarii quondam Vitembergensis; cuius Autographum, in scriniis Scabinatus Vitembergensis adhuc asservatur, quod a D. Werner. Theod. Martini, in dissertatione primam ad Cens. Elect. n. 57. translaturum, a Dn. Putonem
autem

autem in Enunciatis cap. XXIII. *Enunc. 17. p. m. 563.* etiam recensitum fuit. Confer. *Mollerus ad Const. Elect. in præfat. & Dn. D. Franciscus Guilielm. Romanus, dissertat. de perrara pæna ad trivemes s. 1. Lips. 1730.* Ex quibus singulis, quale iudicium de his Constitutionibus sit ferendum, dijudicari poterit. Faxit tandem Numen immortale, ut cœpta feliciter eveniant!

Cum in Dissertatione præsentè, sæpissime ad *Constitutionem*, von der Lehn-Waare, provocetur, L. B. non ingratum fore duximus, ne alios Codices evolvere teneatur, eam verbotenus hic præmittere.

Von der Lehn-Waare.

Die Lehn-Waare an Orten, da sie bißhero ungebräuchlichen, und nicht genommen worden, soll auch daselbst nicht aufgebracht, oder gegeben werden, der Verter aber, da sie über recht verwehrtè Zeit gewöhnlichen, oder sonst erlangt und hergebracht, soll sie ferner krafft solcher Gewohnheit, Inhalts der Landes-Ordnung gegeben und genommen werden, und da krafft solcher Gewohnheit nicht gewiß könnte ausgeführet werden, in was Fällen die Lehn-Waare zu geben, und zu fordern, und also derowegen Zweifel vorfiel, so soll alsdenn, Inhalt der gemeinen Rechte, hieninnen auf folgende Meynung gesprochen werden: Wo ein Guth auf ein Erbe oder Wieder-Kauff verkauft würde, so ist der Käufer wegen der Recognition, und daß er vom Herrn in Schutz genommen, die Lehn-Waare zu verrichten schuldig. Solche Lehn-Waare ist auch ieder, der nicht durch einen Kauff, sondern ex titulo lucrativo das Guth erlangt, als, so es ihm geschencket, oder in einem Testament vermachet würde, zu erlegen schuldig; Außerhalb dieser Fälle sind die neuen Besitzer regulariter Lehn-Geld zu geben nicht schuldig, jedoch müssen sie den Lehn-Herrn recognosciren, und dem Schreiber sein gewöhnlich: s Schreiber-Geld erlegen, als nemlich, wenn ein Guth getheilt würde, und ein ieder seinen zugefallenen Theil besitzet; Also auch, wo ein Vater seiner Tochter,

die er ausleiret, ein Guth mitgiebt, ist sie, oder ihr Ehemann, Lehn-Geld zu geben nicht schuldig; Und wiewohl etliche dieses limitiren, wenn derselbe sonsten andere Güther gehabt, damit er die Tochter ausfleuren könnte, daß dießfalls die Lehn-Waare zu geben sey; So seynd doch unsere Verordneete um gedachter Ursachen willen einig, daß den Rechten gemäß, und billiger sey, dießfalls indistincte keine Lehn-Waare zu geben. Wo auch die Güther durch Permutation oder Umwechselung verändert, so gebühret dem Herrn keine Lehn-Waare zu nehmen, da aber Geld mit zugegeben würde, davon hat man Lehn-Waare von dem Besizer zu fordern. Wenn der Lehn-Herr stirbet, oder das Guth verändert, oder seine Kinder sich theilen, so soll keine Lehn-Waare gegeben noch gefordert werden. Dergleichen, wenn der Besizer-Zins oder Erb-Mann stirbet, und läßet Kinder, so sind dieselben Lehn-Waare zu geben nicht schuldig, weil sie in der vorigen Investitur begriffen; Wenn aber keine Kinder, sondern Freunde seitwärts verwandt, als Collaterales und Extranei vorhanden, auf welche das Guth verfället, dieweil das Dominium in dieselbe ipso jure nicht continuiert noch gebracht wird, so sind die auch die Lehn-Waare zu geben pflichtig. Wenn des Erb-Zins-Manns Guth ein Mann-Lehn ist, so giebet man davon, wenn es ererbet wird, kein Lehn-Geld. Wenn von dem Lehn-Herrn das Erb-Zins-Guth, oder Lehn, erkaufft würde, so gebühret ihm auch keine Lehn-Waare; jedoch soll in solchen Fällen allein die Gewohnheit, wie obstehet, sonderlich in Acht gehalten, und nach derselben gesprochen werden.

DISSERTATIO JURIDICA
DE
LAUDEMIO
OCCASIONE
CONSTITUTIONIS ELECTORALIS SAXONICÆ
Von der Lehn-Waare.

§. I.

Cum de Laudemio agere nobis animus sit, incon- Variorum de
gruum non videtur, quædam de vocabulo Lau- Origine vocis
demii præmississe; Hanc vocem autem barbaram Lantoni opinionem,
esse, putat KLOCK, *de Arar. lib. II. c. 42. n. 1.*
hocque inter omnes facile constare, dicit
FRANTZK. *de laudem. Cap. 1. n. 4.* Haud pauci *laudemium*
a laudando dictum volunt, quia Dominus laudat & approbat,
recipiendo ac investiendo, Emphyteutam seu Vasallum; hic
enim pro labore investituræ, & quod error in possessione
reali rei venditæ collocetur, Laudemium præstat, SURDUS,
Decif. 32. n. 5. quam ob causam etiam *Laudativum* dicitur,
HARTM. PISTOR. *Lib. I. qu. 50. n. 3.* Laudemium quippe,
ob investituram, qua novus laudatur possessor, quasi in re-
compensationem ejus damni, quod Dominus ex immutatio-
ne personæ sentire posset, debetur. FRANC. SOLONA, in
Lucerna Laudemiorum, quarto præludio n. 4. seqq. Cui com-
muni fere *Dd.* opinioni non parum roboris accedit ex *statutis*
Helveticis, quæ *Ill. a LUDEWIG* in dissertatione: *de prærogat.*
investitura cap. 8. not. b. adducit, in quibus laudemium voca-
tur: *das Lobe = Geld.* Quam tamen derivationem rejicit
LOCCENIUS, *explic. voc. feud. statuens*, esse vocem pure
Longo-

Longobardicam, ante *Leudimium* vel *Laudimium* dictam a *Leude*. *Leudi* vero, *Laudi*, *lidi*, *ludi*, *lydi*, *liari*, *Lyti* (tam varie sc. scribitur,) *erant homines subiecti, obedientes. Specul. Sax. Lib. I. a. 52. in princ. conf. BEYER, Posit. jur. Germ. Lib. I. cap. XXII. posit. 5. p. m. 100. NOOD, de Origin. Nobilitatis, cap. II. §. 4. Lugd. 1718.* *Laudemium* ergo vel *leudimium* (juxta hanc derivationem) est illud, quod in recognitionem domini vel obsequii solvitur. LOGGENIO contradicit SCHILTER, de bonis laudemialibus §. 5. ex du. FRESNE in Glossario voc. *Leudes*, & voc. *litus*. Vocatur ab aliis *Laudemium* nostrum, *Feriscapium*, *penna aurea*, *introitus*; a Gallis, *ventes*; ab Italis, *Vasallagium*, v. FRANZK. c. l. n. 18. seq. ab aliis *Lehn-Tax*, i. e. pars estimationis fundi feudalis, was das Lehn werth ist in as dessen Tax ist, davon wurde ein gewisser Theil vor die Belohnung gerechnet. Quando vero a quibusdam etiam *Relevium* dicitur, hoc vix approbandum esse videtur, cum clare, quomodo *Relevium* & *Laudemium* inter se differunt, doceat SCHILTER c. dissert. §. fin. j. SPEELMANN, de *Relevio*. Videmus itaque tot fere hic inveniri opiniones, quot capita; Nos, litem hanc nostram non facimus, sed criticis, qui ejusmodi rerum inquisitione mirifice sibi placent, relinquimus; sufficit enim nobis scire rem ipsam, quid sit *laudemium*, & hoc ad nos devolutum esse, licet propria & nativa, unde descendat significatio, nos lateat; Germanis *Laudemium* audit die *Lehn-Waare*, *Kauff-Geld*, *Lehn-Geld*, *Ehr-Schag* non vero: *Erb-Schag*, monente SCHILTERO, c. l. §. 9. Aliquando etiam *Hand-Lehn*. v. WEHNER *Obs. Pract. voce: Hand-Lehn*. Unde quoque paroemium germanicum ducunt: *Gallina secum affert laudemium in cauda*, die Henne trägt das Hand-Lehn auf dem Schwanz. de qua vid. Hertius Tom. 3. p. 427. & Georg. Tob. PISTORIUS, in *Thesauro paroem. Germanico-Jurid. Centur. IV. paroem. 76. p. m. 383. conf. BESOLD. in Theaur. Pract. sub voce: Henne.*

§. II.

Paucis hęc de definitione nominali, uti loqui amant, adductis, ad ipsam realem nos convertimus; Describimus autem laudemium, quod sit *Quantitas certa, lege vel consuetudine introducta, ex alienatione & concessione honorum, pro receptione & recognitione domini, persolvenda.* Quando dicimus, certam quantitatem esse præstandam, hoc neutiquam intelligi volumus de illa quinquagesima parte pretii, vel valoris rei, de qua *l. f. C. de jur. emphyt.* loquitur, uti quidem olim in Saxonix Provinciis pronunciatum fuisse, testatur RICHTER *Dec. 83. n. 6.* nec proportionatam rei venditæ quantitatem, quod nonnulli asserunt, requirimus; De qua quantitate, & quænam proprie hic sumatur, uti etiam de reliquis verbis, quibus usi fuimus in definitione, in subsequentiis paragraphis fufius tractabimus.

Laudemium describitur.

§. III.

Dividitur laudemium 1) in *Civile & Consuetudinarium.* Illud de bonis emphytevticis tantum est accipiendum, & continet quinquagesimam partem pretii, *d. l. f. C. de Jure emphytevt.* An vero hæc *Quinquagesima* Justiniana, sit de natura contractus emphytevtici? non conveniunt; Sunt qui hoc affirmant, hincque hanc a Domino exigi posse, etsi nil expresse promissum; Negativa interim aliis verior videtur, si nimirum natura contractus per se, & qualis erat ante Constitutionem Justinianeam, aliisque gentibus communis est, consideretur; Hinc TITIUS in *Jure Feudali, Cap. XXV. §. 28. p. m. 476.* *Vielleicht, scribit, würden die Ausleger solche Gewohnheit auch vor Einführung des Römischen Rechts finden, wenn sie durch dieses nicht geblendet wären; wiewohl, pergir, ich doch dießfalls mit niemanden streiten will.* Quo & inclinare viderur SCHILTER *c. Diff. §. 4.* qui sequenti *§. 5.* etiam adducit: *Quinquagesimam hanc Justiniani ab ACCURSIO, AZONE aliisve primis Interpretibus, Laudemium nunquam*

Laudemium dividitur 1) in Civile & Consuetudinarium. Civile.

B

vocari.

Consuetudinarium.

2) in Majus & Minus.
Majus.
Minus.

3) in Simplex & duplex.

4) in id quod solvitur in manu dominante & serviente.
5) in morte unius & in morte utriusque.

vocari. *Consuetudinarium* vocamus cum FRANTZK. c. 3. n. 1. quod non ex bonis emphyteuticis, sed aliis, puta, *feudalibus consualibus* &c. solvi solet. In praesenti vero dissertatione (quia, uti §. *subsequ.* videbimus hodie, ista Quinquagesima Justiniana usu non frequentatur,) posito *Laudemii* vocabulo, utrumque & *Civile* & *Consuetudinarium* intelligi, iudicatu erit facile. 2) Ratione quantitatis *Laudemium* est vel *majus* vel *minus*; illud, die hohe *Lehn-Waar* proprie *Laudemium* dicitur; Hoc vero, *minus*, die kleine *Lehn-Waar*, non nisi abusive *Laudemium* vocatur; Est enim saltem honorarium aliquod, quod non tam domino, quam Praefectis, aliisve ministris pro confectione literarum investiturae solvendum, & in vernacula: *Schreibe-Schilling*, *Einschreibe-Geld* nominatur, v. KNICHEN *de vestitur. pactationibus* P. II. Cap. 4. n. 145. p. m. 90. *conf. Ill. de BERGER, in Oecon. Juris* p. m. 700. not. 9. Regulariter enim in curiis feudalibus, Vasalli nihil solvunt, quam sportulas Cancellariae pro brevi testato, & instrumento investiturae, v. a LUDEWIG, *de renovat. investiturae* p. 356. *Conf. Ober- und Nieder-Lausiger Lehn-Ordnung, c. l. in praesam.* Id quod etiam de feudis Imperii, in Aula Caesarea dicendum: Quamvis illa, quae ibi solvuntur, die *Lehn-Briefe aus der Reichs-Hof-Canzley zu lösen, und des Lehn-Loses halber, laudemium vocari* consueverunt. RHETIUS, *I. feud.* 22. n. 26. p. m. 456. ITTERUS *de feud. Imper.* Cap. XI. §. 10. §. II. p. m. 599. UFFENBACH. *de Judic. Aulic.* Cap. XI. p. 124. 3) *Dividunt Consuetudinarium iterum in Simplex*, quod vicesimam partem, *scil. 5. pro centum*, & *duplex*, quod decimam partem pretii, *10. pro centum*, continet, v. KNICHEN, *c. l. n. 144.* STRUV. *S. F. F. C. X.* §. XII. n. 9. p. m. 393. WEHNER, *Observ. Pract. sub voce: Hand-Lehn.* Alia est 4) *divisio Laudemii a persona Domini & Vasalli desumpta; scil. quando mutato Domino directo solvitur laudemium, in manu dominante, mutato vero Vasallo, in manu serviente, appellari consuevit; Cui 5) addimus Laudemium,*

mium, quod in casum mortis Domini, vel Vasalli solvitur, in specie enim vocatur: die Sterbe- Lehn- Waar. v. *Illustr. de BERGER, in Oecon. p. m. 701. not. 10. & in Resp. P. I. Resp. 37. p. 57.* Quale Laudemium, ubi introductum, conjunctum plerumque habet istud, quod pro receptione solvitur, hinc simul hoc casu Domini exigunt: die Sterbe- und Annehme- Lehn. Registraturam, ubi utrumque praestitum erat, in Actis, infra §. 10. allegandis, observavimus talem: *Dato hat Andreas Thieme, wegen 2. Viertel Landes, ingleichen 1. Acker Felds, die Sterbe- und Annehmungs- Lehn, mit 10. Fl. richtig abgeföhret, und der Lehn auf alle Fälle Folge zu leisten, gerichtlich angelobet, worüber er zugleich krasst dieses quittirt wird. Sign. Baumersroda, in loco judicii, den 1. Oct. 1712.*

§. IV.

Originem Quinquagesimæ Justinianæ plerumque exinde deducunt, quod, cum Dominus fundi emphytevtici directus, intra duos menses jus protimiseos habeat, *l. f. C. de jur. emphyt.* in compensationem quasi & præmium huic Quinquagesima pars solvenda, quod jure suo non utatur, sed emitorem pro emphytevtia recipiat; Hæc autem Quinquagesima a *DD.* postea Laudemii vocabulo exprimi cœpit; Facile hinc apparet, Quinquagesimam Justinianeam proprie non esse Laudemium, sed saltem ob aliquam convenientiam ab Interpretibus sequioribus hoc nomen isti fuisse impositum, atque hodie communiter ita vocari; Et juxta hanc Quinquagesimam etiam pronunciatum penes *CARPZ. P. II. Cap. 39. d. II. ibi.* So seynd eure Unterthanen in denen Fällen, da sonst vermöge der Rechte, Lehn- Waare gegeben wird, 2. Fl. von 100. zur Lehn- Waare zu entrichten schuldig. Alias obiter hie etiam monemus, jure Francorum & Alemannorum *Emphytevtis* non omnes esse laudemiales, quod solide demonstrat *SCHILT. cit. diff. §. XI. sequ.* Et vetus jus *Teutonicum* Laudemia non agnoscit, nisi ex pacto expresso, aut per præscriptionem præsumto;

sumto; subsequētib; autē temporib; Laudēmia per avaritiam dominorum esse introducta, putandum, præprimis post Jus Justinianēum, in terris Imperii, salvo jure patrio, receptum, ex hoc enim causas forenses, neglectis haud raro bonis, imo optimis Germanorum moribus, decidere cœperunt, & multa, sancto juri patrio incognita, huicque plane adversa introduxerunt; Id quod etiam apparet ex Constitutione Divi AUGUSTI 39. P. II. in verbis: *Alldieweil aber NB. tegiger Zeit (olim non erat sic) auch die schlechten Zins-Güther, an vielen Enden, müssen in Lehn genommen werden ic.*

§. V.

Visa Laudemii origine, non immerito ordo poseit, ut videamus, an præprimis in Terris, quæ Electori Saxonie subjacent, Laudēmia pro semel introductis sint habenda, ac, an hac de re, & quid disponant leges Saxonica? Quoad legum dispositionem Divi MAURITII, *Ordinario Provincialis, Landes-Ordnung de Anno 1543.* sub titulo: *Von Ordnung und Freyheit der Städte, (qui est ultimus) in Corp. Jur. Sax. p. 38.* sic disponit: *Wir wollen auch, und gebiechen, daß die Bürger in denen Städten und andere in unsern Nemtern oder sonst, mit der Lehn-Waare nicht übernommen, sondern darinnen die alte Gewohnheit, und das unverneintliche Herkommen gehalten, und wo dasselbe mit Bestande nicht eingeführet, gar nicht unter keinem ley Schein unterstanden werden.* Reliqua, quæ hic deesse videntur, ex Constitutione Divi AUGUSTI, quam in præfatione verbotenus recensuimus, suppletur; Ex utroque textu autem, in controversiis laudemialibus, maximopere ad consuetudines & observantias esse respiciendum, clare apparet, uti etiam a *Potentissimo nostro AUGUSTO, novissime, in spottularum Taxa, de dato Dresde, 10. Januarii, 1724. tit. I. n. 20.* cautum, his verbis: *Vor Bekennung der Lehn, giebt ieder Erbe, bey Empfangung der gesamten Lehn, an denen in die Erbschafft gehörigen Grund-Stücken, NB. ausser der an einigen Orten*

Orten hergebrachten Lehn-Waare, 4. Groschen. *confer. Ord. Saxon. Duc. tit. 24. von Lehn-Waaren.* Qui itaque in Saxonia Laudemia universaliter & uniformiter recepta esse, statuit, fallit certe, ac fallitur; Neque enim in aula Electorali ratione feudorum, ab ea dependentium, præsertim nobilium, neque etiam ratione aliorum feudorum, sive a Præfecturis Electoralibus, sive aliis dominis feudalibus concessorum, regulariter præstantur Laudemia, nisi receptum ibidem esse laudemium probetur. v. HORN, *Jurisprud. feudal. Cap. XVII. §. 21. p. 373.*

§. VI.

Quantitas laudemii omnino est varia; Ubi enim in specie *l. f. C. de jur. emphyt.* recepta docetur, est quinquagesima pretii pars, seu duo pro cento, v. *§. præc.* Alias autem, quia tota laudemiorum ratio a consuetudine dependet, nemo inficias ibit, ab asserente certam quantitatem ibi introductam, probandum esse, præprimis cum laudemia, uti ex subsequen-
tibus apparebit, sint maxime odiosa; Ut vero eo melius de quantitate laudemii incerta constet, nonnullas locorum consuetudines adduxisse juvabit: *Scil.* 1) juxta *Constit. Anbald. Tit. XVII.* lex modo citata *fm.* obtinet, & florenus de quinquaginta exsolvitur. 2) Moribus Fuldicis emtor decem, venditor autem *quinque* pro centum pendere tenetur, id quod displicere videtur, KNICHENIO *de Vestitur. pact. P. II. c. IV. n. 147. seq.* 3) in Gallia diversimode exsolvitur, alibi quippe sexta pretii pars, *alicubi* duodecima est introducta, v. JO. IMBERT. *Enchirid. Jur. Gall. lit. L.* 4) Mantuæ pretii *decima pars* exigitur. SOCIN. *jun. consil. 70. n. 5. § 19.* 5) Placentina lege *quadragesima*, ab usu vero populari *ad vicesimam* progressum est. *Conf.* KNICHEN. *c. l.* 6) In Saxonia regulariter quinque in singulos centenos solvuntur, docente CARPZ. *P. II. c. 39. d. 12. § Lib. I. Resp. 90. n. 2.* Et aliquando, quamvis raro, iis *scil.* in casibus, ubi in specie probari potest, decem. *id. c. l. conf. COLER. P. I. Dec. 33. n. 1. 2. 3.* Ex dictis sua sponte apparet,

Quantitas laudemii est varia.

Recensentur variorum locorum consuetudines.

- 1)
- 2)
- 3)
- 4)
- 5)
- 6)

in dijudicanda laudemii quantitate, nil certi apparere, sed omnia ex consuetudinibus locorum decidenda esse. j. Sentent. post Weichbild. sub titulo: Wie man Zehn-Waare geben soll. fol. mibi CXI.

§. VII.

An! Laudemium iuste exigatur?

Antequam ad casus, in quibus Laudemium solvendum est, pergamus, paucissimis, in quaestione: *An iuste exigatur laudemium?* inquirere licet; Equidem si praesupponamus *conventionem, consuetudinem, vel legem specialem*, laudemii exactio- nem permittentem, sine dubio quaestio affirmanda est; si vero de ipsa laudemii moralitate quaestio intelligatur, tunc aliter omnino incedendum; Et mihi verior semper visa fuit opinio, *potius pro laudemiorum abrogatione quam introductione esse laborandum & pronuncian- dum*; Consuetudo enim talis, vi cuius exigitur laudemium, subditis admodum gravis est. *vid. CARPZ. Lib. I. Resp. 88. n. 4.* Etsi etiam sic dictum laudemium, quod vocant *in manu serviente*, speciem aliquam habere videatur, cum hic, uti §. i. adduximus, Dominus pro receptione novi possessoris, ac damno, quod sentit ex hac mutatione, aliquid exigere possit; Minus sufficiens tamen etiam haec habetur ratio, quia difficulter casus datur, ubi deterior fieret Domini conditio, cum ad minimum sportulae, saepe haud modicae, ipsi in hac alienatione non parvum praestent commodum; sane, etsi hoc adhuc defendi, ac suo modo (*preprimis si sit modicum*) tolerari possit, illud tamen, quod in *manu dominante* dicunt, nullo modo approbandum videtur, quoniam vix ac ne vix quidem adaequata ratio pro huius exactio- nis dari poterit, permulta vero non contemnenda, pro negativa adduci queunt, quas inter haec ultimum non occu- par locum: exactio laudemii *in manu dominante*, subditos ad incitas facile redigi posse, & saepe redactos esse; Fieri enim potest, & hoc factum esse, plus simplici vice observavimus, intra biennium ter quaterque Dominum directum esse mu-
tatum;

tatum; si itaque omnibus modis laudemium sit solvendum, bonis pecuniisque suis sine ulla culpa subinde privatur subditus, ut, unde reliqua præstanda præstet, amplius non habeat, bona derelinquere tenetur, contributiones ab ipso non solvuntur, & ut brevibus multa dicam, haud raro Interesse Superioris, eo quo debuisset modo, non promovetur; Alias adducere rationes, cum breves esse, studeamus, superfedemus, cum præprimis nostrum assertum, quamvis verum, tamen haud paucis, ob lucrum quod inde percipiunt, non posset non videri odiosum; Hoc adhuc monebimus: Nemini nostram obtrudemus opinionem, etsi plane a nobis dissentiat, illum etiam suo ingenio abundare facile largimur, nec propterea ipsi litem denunciabimus.

§. VIII.

Nos enim ipsi negare non possumus, dictis similibusve non obstantibus, in plerisque locis obtinere consuetudinem, quæ chymica quadam arte nigrum in album conficit, ut omnino laudemia exigantur, ut igitur, qui usum horum adstruere nolit, laterem lavare videatur; Præstat itaque, paucis licet, inquisivisse in casus, in quibus juxta *laudatam Constitutionem ineditam*, laudemium solvi debeat; Regulariter autem tenendum: *Laudemium toties solvi, quoties mutatur dominus utilis*; Et versa vice: *Ubi dominus utilis non mutatur, ibi etiam regulariter laudemium non solvitur.* Vi hujus regulæ sol-

vitur I) ab emtore; & quidem indistincte, nulla considerata personæ qualitate, ita, ut hic ipse Supremus territorii, ^{Laudemium solvendum} detur I) ab emtore; Landes-Fürst selbst, non excipiatur; In hoc enim contractu emtionis Princeps jure privati utitur, & præstatio laudemii in recognitionem directi domini subjectionem non involvit. Sic respondit *F. J. Vitt. M. Febr. 1689. vid. de BERGER, E. D. F. Suppl. P. I. p. 499. seq.* Consentit *Magn. DN. LEYSER, Spec. ad tit. CIV. Corollar. 3. arg. l. 8. C. de Exactor. tribus.* Intuitu venditionis autem quæstio prætereunda non est: *Utrum aestimatio illa*

illa hic sit spectanda, qua venditor prædium comparavit, an vero ea, qua nunc emitur? Qui exigunt, adducunt CARPZOVIO, Lib. I. Responso 90. n. 5. nunquam fere justo pretio contenti, laudemium juxta rei æstimationem antiquitus factam, & quanti unquam plurimi fuit, sibi præstari volunt; Subditi e contrario, seu emtores, in materia substrata, non ad veterem, sed ad præsentem rei æstimationem spectandum esse, contendunt, sese fundantes in l. ult. §. ne avaritia, C. de jure emphyr. uti etiam pronunciatum refert CARPZ. c. l. n. 12. verbis: So wer den bemeldete Lehn-Waaren nach dem Kauff-Gelde und Werth der Güther, wie dieselbe aniego auszubringen, billig angesehen, und man hat sich nach dem Werth, wie die Güther hiebevör gegolten, in Entrichtung der Lehn-Waaren nicht zu richten. Sic etiam respondit F. F. Lips. Mens. Febr. 1700. referente MENCCKENIO, in Theor. & Praxi Pandect. p. m. 249.

§. IX.

De æstimatione prædii, si exigatur die Sterbe-Lehn-Waare.

Quæ de æstimatione tempore alienationis facienda, §. præced. diximus, ad solam venditionem sunt restringenda; Aliud enim obtinet, si Vasallus sit mortuus, & ab hæredibus laudemium in casum mortis, die Sterbe-Lehn-Waare exigatur, hoc enim casu hæredes, juxta quantitatem, qua defunctus prædium comparavit, non vero secundum præsentem æstimationem, solvunt laudemium, ut adeo augmentum fundi non attendatur, sed solus valor, quo antecessor emit, spectetur, cujus rei ratio, quia hæres cum defuncto, fictione juris pro una eademque persona habetur: Et sic pronunciativ S. C. P. Lips. Mens. Sept. 1702. & Mens. Mart. 1703. hac formula: daß Kläger mit Abforderung der Sterbe-Lehn-Waare, nach dem ictigen Werth derer Güther, zu verschonen; Quæ sententia etiam in instantia appellationis fuit confirmata, Consil. hyberno 1704. in causa der Gemeinde zu Gröbitz, contra Amalien von Pöllnitz, referente ill. BERGER, in E. D. F. p. m. 1325. Et hunc in modum quoque pronunciatum a Dm. Scabinis Lipsiens. Mens. Jul.

Jul. 1697. Quale præjudicium recenset BARTH. in *Hodeg. for. edit. nov. p. m. 682.* vid. MENCKEN. *Theor. & Prax. Pand. Tit. si ager vectig. §. 11.* ubi etiam a F. J. L. M. *Off. 1709. & M. Dec. 1712.* ad evitanda taxationis tædia, sic judicatum esse adducit, *p. m. 248.* Cui sententiæ tamdiu inhærendum, donec Dominus, exigens laudemium, probet consuetudinem contrariam, scil. etiam hoc casu ad pretium præfens respiciendum esse. Quæ sententia quidem ab æquitate commendatur, ast de jure stricto etiam hoc casu pretium temporis præfens esse considerandum, a *Senatu Provocationum Dresdensi Consil. hyb. 1711.* pronunciatum refert ill. BERGER in *Oecon. p. m. 701. not. 10.* quæ opinio etiam placuit *J. Cui Helmstädiensibus* apud Magn. Dn. LEYSER. *Spec. CIV. medit. 7.* Varia adhuc alia præjudicia pro hac sententia perhibet BARTH. *Cent. IX. Dissens. 820. n. 3. p. 562.*

§. X.

Interdum vero contingit casus, ut Domino non constet de vero pretio, quo fundus emtus fuit, quid igitur ipsi faciendum? Ad verum pretium indagandum, taxationem, quæ plerumque per Scultetum & Scabinos paganos fieri consuevit, adhiberi videmus, secundum quam taxam deinceps etiam exigitur laudemium. Quid vero statuendum, si successor vel emtor instrumentum venditionis, den *Kauff-Brief*, producat, ex quo quanti prædium sit emtum, constat? an Dominus huic stare teneatur, non adeo expeditum; Acriter disputatum fuit hac de re in *Supr. Cur. Prov. Lips.* in causa *Aetorn Syndicen der Gemeinde zu Ober- und Nieder-Eichstedt, Klägere, contra Herrn Hannsen aus dem Winkel, Beflagten;* Ubi Actores simpliciter instrumentis venditionum, denent *Kauff-Briefen*, credendum, & consequenter, secundum pretium ibi determinatum, laudemium, sine ulla ulteriori prævia taxatione, accipiendum esse, putabant; Quia vero etiam multæ venditiones simulatæ inveniuntur, ubi pretium dicis

Quid Dominus faciendum, si non constet, quo pretio fundus sit emtus?

C

gratia,

gratia, *i. e.* non adequatum, adjectum deprehenditur, sicque in fraudem Domini minus constitui posset pretium, malitiis autem hominum nunquam fenestra aperienda, *L. 38. de R. V.* Hinc in dicta causa, peracta probatione & reprobatione, ad Acta relatis disputationibus attestatorum, lata sententia definitiva, & contra hanc ab utraque parte interposita leuteratione pronunciatum fuit, *Term. Lucie 1727.* daß es beyderseits eingewandter Leuterung ungeachtet, bey unserm jüngsthin gesprochenen Urtheil billig bleibet, iedoch so viel Beklagten betrifft mit dieser Erklärung: daß derselbe deren Klägerer Grundstücken, wenn sie darüber Kauff-Briefe, oder andere Nachrichten, daraus NB. deren rechter Werth zu erkennen, in Händen haben, und nichts verschweigen, zu würdern nicht besugt. Quae etiam deinceps in Instantia Appellationis *Term. aestiv. 1728. & Term. hybern. 1729.* ibidem pro modum leuterationis, confirmata est; Ex quibus sententiis apparet, Dominum omnino audiendum esse, si contra emtionis instrumentum exceptiones liquidas habeat, & hoc non obstante, pro re nata taxationem ipsi permittendam esse; Qua taxatione legitime peracta, si deinde majus appareat pretium, emtori, instrumentum venditionis, minus pretium continens, producenti, purgatorium injungi potest; Uti factum a *Scabinatu Vitemb.* in causa *Afforen-Bormunden*, Martin B. und Consorten, Kläger an einem, E. H. v. B. Beklagten andern Theils: *Monse Jul. 1728.* verb. sentent. Würde nun Mit-Kläger M. B. vermittelst Eydtes erhalten, und daß er von seinem Vater, M. B. dem ältern, das libellirte Gut höher nicht als vor 2500. Fl. käufflich angenommen, solche Summa auch nicht zum Schein also angegeben worden, schweren, so ist selbiger die Annahme-Lehn-Waare bloß von 2500. Fl. zu entrichten pfflichtig. Ubi in rationibus decidendi adducebant *laudati Dnn. Scabini*: Endlich aber, und so viel die Annehme-Lehn-Waare betrifft, Kläger, daß Beklagten 5. pro Cent gehören, nicht in Abrede sind; iedoch

daß

daß darunter das Guth nicht zu taxiren, sondern solches nach Betrag des Kauff-Geldes zu determiniren sey, verschügen, solches letztere auch *in dubio* zu *presumiren* ist, da zumahl *ratione* des erstern, Beklagter kein zulänglich Besorgniß ausgeführet hat; gleichwohl, und da das Guth auf 4000. Fl. gerichtlich geschätzt worden, eine nicht geringe Vermuthung entsethet, daß bloß *per simulationes* und zu Verringerung des Annehme-Geldes, eine geringere Summa angegeben worden, folglich dieser Verdacht, vermittelst Endes, vor allen Dingen abzulehnen ist.

§. XI.

In venditione laudemium, & quidem ab emtore solvendum esse, dictum, de quo minus dubirandum, si res a venditore emtori sit tradita; An vero, contractu quidem celebrato, nondum autem traditione consummato, recedente una vel altera parte, exigi possit, quæritur? Negandum hoc videtur, quia, 1) ut supra adductum, laudemium solvitur pro receptione novi emphytevtæ, hæc receptio autem nondum facta, hinc cessante causa, cessare etiam debebat effectus, c. 60. X. de appellat. Et 2) si verum est, saltem ob mutatum vasallum exigi laudemium, sequitur, mutatione non contingente, illud solvendum non esse; Accedit 3) exactionem laudemiorum esse odiosam, ut adeo merito verba cum effectu, plenissima scil. traditione subsecuta, sint accipienda; Quia vero Domino per contractum a partibus celebratum, statim censetur jus quæsitum, AMÆDEUS a PONTE, *quest. 38. n. 1.* quod ei, facto contrahentium subsecuto, auferri nequit, a. l. id quod nostrum, u. ff. d. R. J. porro alteri per alterum iniqua conditio inferri non debeat, l. 74. eod. cum cuilibet tantummodo factum suum, non vero tertio præjudicari possit, hinc, non obstantibus adductis rationibus in contrarium, pro agente sententia, scil. re etiam nondum tradita, laudemium ab emtore solvendum esse pronunciarunt Dm. Scabini Lips. apud BERLICH. Dec. 47. n. 1. Licet enim emtor ante traditionem

Quid statuen-
dum, si a ven-
ditione, re
nondum tra-
dita, partes
recedant?

non sit Dominus, tamen actio ei competit ad rem tradendam, & dominium ad se transferendum, si venditor sit dominus, l. 11. §. 2. de act. emt. & l. 52. in f. de V. O. v. MOLLER. ad P. II. Const. 32. n. 7. Quæ sententia ampliatur, quod nimirum laudemium debeat exsolvi, etiam si statim post contractum & instrumentum factum, partes jubeant illud cancellari, BERL. c. l. confer. VIRGIL. PINGIZER. quest. 42. n. 14. Quos casus tamen sic accipiendos esse putamus: Si contrahentes domini consensum petierint, deinde vero recesserint; Si vero consensus petitus nondum sit, nec a Domino laudemium postulatum, tuto partes recedere, & laudemium exigi non posse, aequius videtur. vid. RICHT. Dec. 83. n. 52. Ulterius, sicut negari vix poterit, rationes in genere pro negativa adductas sat prægnantes videri, cum omnino contractus venditionis ante rei traditionem plene consumatus dici nequeat, sic etiam iidem Dnm. Scabini in eadem causa mutarunt consilium, & negative responderunt, quæ sententia etiam Fac. Jurid. Lips. placuit, adducente BERL. c. l. & nobis etiam affirmativæ præferenda videtur.

§. XII.

Plura, de solvendo laudemio in emtionis materia, adducere chartæ angustia non patitur, cum etiam reliqui casus in quibus *vi nostræ Constit. med.* laudemium solvendum, recensendi veniant; sistit se autem ibidem 2) Donatio, quæ facta, a donatario merito exigitur laudemium; Non ex hac ratione, quia rem titulo lucrativo acquirit, sed quia donatione facta dominium transfertur in donatarium; Quia itaque hic mutatur Vasallus, seu primus possessor, & dominus confirmare ac recipere donatarium, seu novum possessorem tenetur, recte omnino in donatione peti laudemium, dubitandum non est. vid. JAS. in leg. ult. C. de jure emphyt. n. 68. ALEX. Consil. 19. n. 6. BRUNNEM. ad Cod. de imponenda lucrativa descript. n. 5. JOSEPH. LUDOV. dec. Lucens. §. CASSAN.

Solvitur laudemium 2) in donatione.

in consuet. Burgund. Tit. des retraités. Rubr. 10. §. 7. gl. 1. PAPON. lib. XIII. Tit. 2. Arrest. 20. RED OAN. de reb. eccles. quæst. 11. n. 3. tom. 15. conf. AMÆD. a PONTE, qu. 30. 3) Solvendum 3) a Legatario. est laudemium a legatario, legato enim etiam acquiritur dominium, quod statim post mortem testatoris in legatarium translatum censetur, ut inde ipsi quoque rei vindicatio adversus rei legatæ possessorem competat. vid. l. 80. de Leg. n. l. 64. in fin. de furt. Cum itaque legatarius de novo sit confirmandus & recipiendus a Domino, haud immerito exigitur ab eo laudemium.

§. XIII.

Laudemium, juxta Constitutionem nostram 4) solvit etiam 4) ab hærede hæres testamentarius; quamvis enim alias hæres cum defuncto censeatur eadem persona, hæc fictio juris tamen hic locum habere nequit, quia omnino mutatur Vasallus, & alius in locum prioris succedit. Imo de hoc dici non potest, quod in priore investitura comprehendatur, ergo tanquam novus possessor investituram a Domino petere, eique in compensationem laudemium solvere debet. Verba Constitutionis sunt hæc: So aber keine Kinder, sondern Freunde, seitwärts verwandt, als Collaterales und Extranei, vorhanden, auf welche das Guth verfällt, diemvel das Dominium in dieselbe ipso jure nicht continuiret noch gebracht wird, so seynd sie auch die Lehn-Waare zu geben pflichtig; Et quamvis Constitutio conceptis verbis tantum de collateralibus loquatur, usu fori tamen hæc etiam ad ascendentes, patrem, matrem, avum &c. applicatur, cum nec in hos ipso jure dominium transferatur. vid. COLER. P. I. dec. 33. n. 24. seq. Additur 5) omnis successor ab intestato, qui ab ultimo possessore non descendit. vid. BEYER. Post. ab hærede ab intestato. jur. feud. Cap. I. pos. 37. lit. l. id. post. jur. Germ. Cap. XXIII. pos. 16. Conf. SCHAUMBURG. Einleitung zum Sächsischen Rechte, P. II. Exercit. 2. Sect. 2. §. 26. p. 216.

§. XIV.

Recensuimus huc usque casus, in quibus laudemium solvendum, qui in specie, in *Constitutione* saepe citata deprehenduntur; Dantur vero adhuc alii, sic 6) huc referimus *dationem in solutum*, uti pronunciatum adducit RICHTER, *Dec. 83. n. 109.* ubi simul admonet, quod inter *voluntariam & necessariam* dationem, uti nonnulli statuunt, distinguendum non sit, modo datio ex debito aliquo voluntario facta fuerit, v. g. quando pater filio prædium dat in solutum, eum in finem, ut filio intuitu bonorum maternorum satisfiat, RICHTER *c. l. n. 110.* necessitas enim alienandi proveniens ex facto spontaneo debitoris, non dicitur necessaria, cum habuerit *initium voluntarium*, v. l. *interdum*, 36. in f. *π. de judic.* & regulariter actus solet judicari a causa originali. Secus vero dicendum de debito necessario, ubi deficit debitoris voluntas, hoc enim casu laudemium solvendum non esse, dicendum, quia regulariter a quavis dispositione censentur excepta ea, quæ necessitate urgente fiunt. *l. per diversas 22. C. Mandat. l. f. C. de litig. vid. HARTM. PISTOR. Qu. 50. n. 27. § 52.* 7) Solvitur laudemium in *Permutatione*, *l. f. junct. gl. in verbo: permurando, § in verbo: astimationis, C. de jure emphyt.* ubi dicitur, quod si alio titulo, quam venditionis, res transferatur, *quingagesima* detur astimationis rei pro renovatione; *Permutationem* autem tanquam speciem alienationis sub genere comprehendi, nemo dubitabit. *vid. HARTM. PISTOR, qu. 50. n. 27.* Et hoc casu ab utroque exsolvendum esse laudemium, statuit REDOAN. *de reb. eccles. non alien. Qu. 66. in f.* sicque a *Scabinatu Lipsiensi* pronunciatum esse, testatur MOLLERUS *4. Semestr. c. 3. n. 4.* & MOD. PISTOR. *p. 2. qu. 67. n. 1. j. COLER. p. 1. dec. 33. n. 17.* LYNCKER, *resol. 374.* Quæ sententia tamen, quamvis pro communi habeatur, in *Electoreatu Saxon.* nullum meretur applausum, ubi cessat in permutatione laudemii exactio, nisi quatenus aliquid pretii additamenti loco accessit, sic

6) in datione
in solutum.

7) in Permu-
tatione.

Excepto Ele-
storatu no-
stro.

Limitatio.

sic disponente *Constitutione nostra*, in verbis: Wo aber die Güther durch *Permutation* und Umwechselung verändert, so gebührt dem Herrn keine Lehn-Waare, da aber NB. Geld zugegeben wird, davon hat man Lehn-Waare von dem Besitzer zu fordern, *vid. CARPZ. P. II. C. 39. d. 15. conf. ill. BERGER. P. I. Resp. 37. Jcti Fenenf. simpliciter in permutatione exactionem laudemii denegant, teste LYNCKER. Dec. 465. Quamvis autem per dictam Constitutionem in permutatione laudemium non exigatur; Emphyteuta tamen Dominum recognoscere, investituræ renovationem petere, ac Notariis pro inscriptione salarium debitum ac usitatum præstare tenetur. JACOB. SCHULTZ. in addit. ad MODEST. PISTOR. c. l. n. 7.*

§. XV.

Uterius §) laudemium exigitur in venditione sub hasta, ^{§) in subhastatione.} uti pronüciatum refert *CARPZ. P. II. C. 39. d. 17. non solum quia in solutum datio vicem emtionis obtinet, l. ult. n. ex quibus caus. in poss. eat. l. 44. de solut. Sed & quod in solutum datio locum habere nequeat, sine prævia subhastatione & taxatione, l. 3. C. de exec. rei jud. & quia subhastatio est vera venditio, quæ intelligitur fieri a debitore, non a creditore, l. 1. §. 2. C. si in caus. judic. pign. cap. sit. insuper non tam ex præcisa necessitate, quam ex voluntate debitoris, contingit, qui hoc mavult, quam aliter solvere. l. 15. C. de evict. Consentit RAUCHB. P. I. qu. 46. n. 1. ANTON FABER in C. lib. IV. Tit. 43. def. 23. MOLLER. l. 4. semestr. c. 5. RICHTER. Dec. 83. n. 59. seq. TESSAURUS, Dec. 139. n. 1. ibique allegati. Multi autem hic dissentiunt, quoniam ex alienationibus necessariis non perfolvitur laudemium, HARTM. PISTOR. P. I. qu. 50. n. 52. JOAN. PAPON. in corp. jur. Francici, libr. XIII. tit. 2. qu. 23. p. m. 454. Sic etiam Jcti Helmstadiens. Mense Octobr. 1719. pronüciarunt, referente Magn. LEYSERO, Specim. CIV. med. 8. quia *lex 3. C. de jure emphyt. saltem accipienda esset*
de*

de privata & voluntaria alienatione, non de necessaria & publica, quæ sub hasta fieret, atque adeo ad hanc non deberet extendi. Cui opinioni accedunt DEC. *Conf. I. n. 290. & Conf. 215. n. 3.* JULIUS CLAR. *in sua Pract. §. Emphyteuf. quest. 23.* CAPELL. TOLOS. *qu. 279.* STEPHAN. GRATIAN. *dec. 180.*

9) juxta non-nullos in locatione ad longum tempus facta.

aliique. 9) Laudemium etiam solvendum esse ex locatione ad decennium facta, quoniam hoc casu utile dominium transferri censetur, sunt qui statunt, *vid. ALEXAND. Consil. 165. n. 2. Vol. II. DEC. Consil. 204. n. 2.* Cui sententiæ, quod miramur, CARPZOVIUS etiam calculum addit *Lib. V. Resp. 17. n. 10.* Hinc quoque STRYK. *in C. C. S. 2. c. 9. § 6.* ut singulis novem annis contractus renovetur, ne alias utile dominium acquiratur, cautelam commendat; Nos vero, ut hoc credamus, nunquam adduci potuimus, cum nullibi in jure nostro, locatione, licet longa, dominium acquiri, sit statutum, ut adeo hæc sententia, quod pace tantorum virorum dictum sit, juri conveniens plane non videatur, sed potius *legi 2. C. de prefer. 30. vel 40. ann. versu: Nemo igitur qui &c. contraria;* ibi enim dicitur, *etiamsi conductor diu res alienas teneat, non tamen jus proprietatis sibi usurpare potest. Confer. FINCKELTH.*

10) Usufructuarius hoc exigit.

Obs. III. n. 13. seq. & AMÆD. a PONTE, qu. 34. 10) Exigit laudemium usufructuarius, quia hic habere debet usum fructum omnium rerum censualium, ipse autem non potest, sed Proprietarius debet laudare & investire, quia nemo potest utile dominium transferre, aut ab alio translatum laudare, quam qui dominus directus est. *l. ult. C. de jure emphyt.* Est enim separata causa usufructus & proprietatis, *l. pen. de acquir. possess. vid. CAPIC. Dec. 184. GUIDO PAPÆ, qu. 577. JOAN. del CASTELLO, c. 36. de Usufructu. MÖLLER. lib. 4. Semestr. cap. s. n. ult.*

11) in casu, si pater liberis vendat emphytevsin.

11) Solvitur, si pater vendat emphytevsin liberis suis, alioquin sibi ab intestato successuris, quia vera venditio hic celebrata, & præter hanc inter contrahentes nil aliud actum apparet; atqui in venditione solvendum est laudemium, *l. ult.*

*l. ult. C. de jure emphyt. vid. TIRAQUELL. de retract. §. 32.
Gloss. un. n. 46. SURD. Dec. 343. n. 7.*

§. XVI.

Non deessent, qui adhuc adduci potuissent casus, in quibus laudemium exigi solet; Quia vero *partim* ex dictis, ad alios etiam a gumentum trahi potest, *partim* etiam, qui omnes recensere vellet, stabulum Augiæ purgare videtur, cum hic mores, consuetudines locorum &c. præcipue attendi debeant; Hinc pro instituti ratione recensiti sufficiant; Paucis enim nunc etiam de iis casibus, in quibus regulariter laudemium *vel* non est solvendum, *vel* de quibus inter *Dd.* controvertitur, quædam per indicem quasi dicturi sumus. Et 1) non solvitur laudemium a Vasallo, si rem emat ab ipso domino directo, cessat quippe ratio, propter quam alias laudemium exigitur, hac vero deficiente, deficit etiam effectus, per contractum enim jus directi dominii a se alienavit. FRANTZK. *de laudem. Cap. VII. n. 160.* SCHULTZ. *in addit. ad Mod. Pistor. Part. I. qu. 37. n. 8.* Verba *Constitut. nostræ*, huc pertinentia sunt hæc: Wenn von dem Lehn-Herrn das Erb-Zins-Guth, oder Lehn gekaufft wird, so gebühret ihm auch keine Lehn-Waare. 2) Si proprietarius jure consolidationis emphytevsin possideat, nullum solvendum est laudemium, quia nemo sibi ipsi quicquam debere vel solvere potest, nec actio & passio in uno subjecto concurrunt, *vid. AMÆD. a PONTE, qu. 22.* 3) In venditione conditionali: quia hæc ante conditionis eventum pro imperfecta habetur, & conditio nihil ponit in esse, antequam evenerit. *a. l. 213. de V. S. GAIL. Lib. II. O. 132. HARTM. PISTOR. qu. 50. n. 50. P. I RICHTER. Dec. 68. n. 88. seq. CARPZ. P. II. C. 39. d. 14.* 4) Si mutatio contingat in persona domini, quia de novo tantum possessore emphytevsicos exigitur, *l. ult. C. de jure emphyt.* & cum hæc mutatio ex parte domini, sive factio possessoris, contingat, possessor gravandus non est. *l. 155. pr. de R. F. rationi enim*

Casus, in quibus laudemium regulariter non solvitur.

1)

2)

3)

4)

D

non

non convenit, ut alter alterius conditionem præter ipsius voluntatem faciat deteriorem, l. 74. eod. l. 39. de N. G. HARTM. PISTOR. c. qu. 50. n. 60. Id quod in specie etiam sancitum legitur, in *nostra Constitutione*, verbis: Wenn der Lehn-Herr stirbet, oder das Gut verändert, oder seine Kinder sich theilen, so soll keine Lehn-Waare gegeben werden. Quod etiam sancitum in *Provinciali constitutione Vinariensi* 24. in verbis: Wenn die Lehn-Herren verstorben, oder sich sonst Verändrungen zutragen, so soll zu Bekännniß der Lehn nur ein Schreibe-Schilling gereicht werden. vid. Præjudicia hanc in rem apud RICHTER. c. dec. n. 120. 5) Non solvitur laudemium ab eo, qui in *Possessorio* obtinuit, nisi etiam in *Petitorio* obtineat, quia sententia lata super possessione, non præjudicat proprietati. c. 24. X. de elect. Et haud raro qui obtinuit in *Possessorio*, deinde succumbere tenetur in *Petitorio*; Hinc etiam sententia in *Possessorio* lata, parvi dicitur præjudicii, cum præjudicium irreparabile non afferat, sed reparari possit in *Petitorio*. vid. CARPZ. Lib. 1. Resp. XII. n. 2. seq.

§. XVII.

6) Ulterius 6) non solvitur laudemium a genero de prædio, quod in dotem accepit, quia hæc alienatio omnino necessaria videtur, cum publice interfit, mulieres nubere, illisque dotes constitui, quod eo facilius maritos invenire possint, vid. l. 2. de jure dot. præprimis hodie, ubi in matrimonio contrahendo curiosius de dote, quam de moribus nubentium agi solet; Si enim ullibi, certe hic applicandum tritum istud: Querenda est pecunia primum, de moribus ultima fiet questio; vid. COCCEJUS de curiositate legali proficua, Cap. II. Concl. 2. SAMUEL STRYK. de curiositate Cap. IV. n. 6. seq. Et quamvis hic dissentiat ANTON. FABER. Dec. 99. Error. pragm. c. 1. 2. § 3. quia datio in dotem esset vera alienatio, v. l. 1. de jure dot. in Electoratu tamen res dubio caret, per *nostram Constitutionem* in verbis: Also auch, wo ein Vater seiner Tochter die

die er aussteuere, ein Gut mitgiebet, ist sie oder ihr Mann Lehn-Geld zu geben nicht schuldig, und wiewohl dieses etliche limitiren, wenn der Vater sonst andere Güther gehabt, damit er die Tochter aussteuren könnte, daß disfalls die Lehn-Waare zu geben sey; so seynd doch unsere Verordnete um obgedachter Ursachen willen einig, daß es denen Rechten gemäßer und billicher sey, disfalls indistincte keine Lehn-Waare zu nehmen; Et sic responsum apud CARPZ. P. II. C. 39. d. 18. consentie AMÆD. de PONTE de laudem. qu. 29. & ex eo TESSAURUS, Dec. 139. n. 3. Haud pauci quidem hic distinguunt: Utrum prædium æstimatum an inæstimatum, in dotem sit datum; Et posteriori casu tantum solvendum non esse laudemium, bene tamen priori. AMÆD. c. l. n. 6. JASON tamen, & quos adducit, in l. f. C. de jure emphyteut. nec hanc admittunt distinctionem. 7) Peti nequit laudemium, si pater in ultima quadam dispositione uni ex liberis pro certo pretio fundum assignaverit, quia hoc casu non tam vendidisse, quam ex partibus inæqualibus divisionem quasi fecisse videtur, uti etiam præjudicio confirmat CARPZ. c. l. d. 27. 8) Usufructuarius aut vidua, quæ dotalitium habet, non solvit laudemium; Cuius rei ratio in eo ponitur, quia laudemium pro investitura seu inductione in possessionem & utile dominium debetur, l. ult. C. de jure emphyt. Ut itaque præstandum sit a Domino utili, non vero ab usufructuario, qui nec Dominus est, nec de utili dominio investitur, v. l. pen. pr. de acquir. vel amitt. poss. l. 5. pr. si ususfruct. petat. ANTON. FABER in Cod. lib. 4. tit. 43. Def. 46. n. 5. p. m. 482. 9) In permutatione in Electoratu, nisi pro pecunia, rei permutatæ addita. vid. supra. §. 14. n. 7.

§. XVIII.

Denique 10) a præstatione laudemii immunes sunt liberi; Hi enim in priori parentum investitura sunt comprehensi, HARTM. PISTOR. cit. qu. 50. n. 59. FRANTZK. de laudem. Cap. VIII. n. 28. & Domini vel quasi bonorum paternorum,

etiam in vita patris intelliguntur, v. l. n. de liber. & possib. imo repräsentant personam defuncti, l. f. C. de impub. & al. subst. ii. §. 2. Inst. de hered. qual. & differ. unde Græcis dicuntur ἀποκληρονόμοι, quod eleganter ad Phœnicem suum Lactantius accommodat hoc versu:

Ipsa sibi proles est pater & suus hæres.

Cui applaudit Ausonius hoc Elegiaco:

Iusta quidem series patri succedere; verum

Esse simul dominos gratior ordo piis.

J. de BERGER dissert. de natura domini, quod liberis in bonis parentum adhuc viventium competit, ejusdemque potissimum effectibus; in ejus Vol. XXXV. vid. AMÆD. de PONTE d. tr. qu. 10. in fin. ubi scribit: Quod non omnis emphyteuta novus indistincte debeat solvere laudemium, sed quoties res mutat manum, & Vasallus rem transfert in Vasallum, in prima investitura non comprehensum. Quia itaque dominium non mutatur, novaque non intercedit acquisitio, sed potius est continuatio quædam, merito liberi non præstant laudemium, ne beneficia paterna redimere teneantur. REDOANVS, de reb. eccles. non alien. quest. 66. n. 26. Qua de re iterum clara sunt verba Constitutionis nostre: Wenn der Besizer, Zins- oder Erbmann stirbet, und lässet Kinder, so seynd dieselben Lehn-Waare zu geben nicht schuldig, weil sie in der vorigen Investitur begriffen. Hunc in modum etiam pronunciavit F. J. L. Mens. Nov. 1703, præjudicium verbotenus refert BARTH in Hodeg. For. Edit. nov. p. 681. Interim liberi hoc casu laudemium minus, die kleine Lehn-Waare, (vid. supra. §. 3.) i. e. honorarium, quod ministris, scribis &c. exsolvendum, den Schreiber = Schilling præstare tenentur, sic disponente Constitutione nostra, in verbis: Jedoch müssen sie den Lehn-Herrn recognosciren, und dem Schreiber sein gewöhnliches Einschreibe-Geld erlegen. Idem etiam disponitur in Ordinat. Ducal. Tit. 24. von der Lehn-Waare, in verbis: Wenn die Lehn-Leute versterben, so soll zu B. künne-

Bekanntniß der Lehn ein Schreibe Schilling gegeben werden,
 docente FRANTZK. *de laudem. C. VIII. n. 28.*

§. XIX.

Sententia prædicta, a liberis laudemium exigendum non esse, non saltem procedit, si mortuo parente in communione maneat, v. CARPZ. P. II. C. 39. D. 23. Etiam si pactum adsit, quod hæredes, qui in communione manent, laudemium præstare debeant, v. de WERNHER, P. IX. Obs. 91. p. m. 147. Sed etiam extenditur ad eum casum, ubi ad divisionem provocant, quia unusquisque hæredum defunctum in sua persona representat, nec enim novum hoc casu dominium acquiritur, sed id, quod ante erat commune, seu indivisum, saltem pro virilibus portionibus dividitur, v. l. un. C. de imponend. lucrativa descript. BALD. Vol. 3. Conf. 326. in fin. AMÆD. a PONTE, c. l. qu. 25. Consentit RICHTER Dec. 83. n. 132. ANGEL. in l. in fuga. 6. C. ad Leg. Fab. de plagiar. it. COLER. P. I. Dec. 33. n. 33. ubi pro ratione adducit, quod hæc alienatio sit necessaria. Confer. Constitutio nostra in verbis: und ein ieder sein zugefallten Theil besitzet. Ex quibus haud obscure colligitur, nullum hic exigi debere laudemium. v. ZOBEL. Differ. Jur. Civil. & Saxon. P. III. differ. 21. n. 14. Nec ab hac sententia alienus videtur CARPZ. P. II. C. 39. d. 25. qui alias ut dissentiens allegatur; Prædicti enim *dd.* præsupponunt casum, ubi v. g. tres liberi, qui huc usque in communione fuere, fundum nunc in tres dividunt partes, ubi omnino vera videntur, quæ sunt adducta; *Carpzovius* autem c. l. casum plane diversum habet, scilicet in divisione uni ex cohæredibus rotus adjudicatur fundus, qui reliquis vel in pecunia, vel alio modo satisfacit, ubi omnino diversitatis ratio dari potest, quia is, qui pecuniam accepit, amplius defunctum representare nequit, cum hic pecunia non succedat in locum rei, & is, qui solus prædium hoc casu comparavit, pro emtore, seu singulari successore habetur, ergo videtur solvendum esse laudemium ob diversitatis rationem,

Extensio ratione liberorum.

præmissis ratione quantitatis, noviter per emtionem quaesita. Quamvis vero & hoc casu contra CARPZOVIUM statuatur contrarium, indistincte asserens, *laudemium solvendum non esse, et se uni ex cohæredibus fundus ipse, alteri vero ejus aestimatio adjudicetur*, FRANTZK. *de laudem. Cap. VIII. n. 48. it. RICHTER, Dec. 83. n. 137.*

Alius casus, ubi liberi non solvunt laudemium.

Nec solvitur, si vidua cum liberis maneat in communi-
one.

Si Pater liberis vendat emphytevsin, solvendum est laudemium.

§. XX.
Alias autem omnino statuendum cum CARPZOV. *c. l. def. 24.* uno ex cohæredibus decedente, reliquos pro portione illa, quam a defuncto nanciscuntur, ad solutionem non esse obstrictos, *partim*, quia personæ per acquisitionem portionis defuncti cohæredis, mutata non sunt, *partim*, quia dominium hoc casu inter omnes eos separatim & divisim non est, nec etiam investitura prima, ante divisionem rupta & extincta. *a. l. 2. de cond. instir. l. 46. de R. N.* Quæ vero de communi-
one liberorum, defuncto patre, asserta sunt, extendenda etiam veniunt ad eum casum, quando Emphytevta mortuo, vidua cum liberis in communi-
one sedet, nec enim hoc casu laudemium exigendum, quamvis renovatio investitura fieri debeat. *v. COLER. P. I. Dec. 33. n. 32.* Cæterum ratio, quæ intuitu liberorum adducta, applicatur etiam ad eum casum, quando maritus solvit laudemium de bonis uxoris, mortuo deinde marito, relicta vidua non tenetur laudemium solvere. *vid. ZOBEL. Different. Part. III. differ. 21. n. 9.* Hæc, de liberis, firmo stant talo, si liberi ab intestato succedunt; Aliud autem statuendum erit, si pater liberis vendat Emphytevsin, hoc enim casu a liberis solvendum esse laudemium, dubitandum non est, quia pater in filios tanquam extraneos, solius pretii & recompensationis intuitu, rem transfert, ut itaque ex mente contrahentium præter venditionem nil aliud appareat. *vid. SURD. Dec. 343. n. 7.*

§. XXI.
Recensuimus in §§. præced. casus, in quibus laudemium

vel omnino, vel plane non, solvendum est, ubi fere *Dd.* conveniunt; Possemus nunc etiam haud paucos in medium proferre, circa quos maxima inter *Dd.* lis deprehenditur; Quoniam vero varii ejusmodi casus controversi, a TOBIA BARTHIO, in *Centuriis Dissensuum*, collecti reperiuntur, nominatim, *Centur. IV. Dissens. 386. usque 390. it. Cent. IX. Dissens. 816. usque 820.* Sufficiat eo *Lectorem* ablegasse; Unicum tamen hic omittere nolumus. Sæpe *scil.* occurrit quæstio: An laudemium ipsum afficiat rem, sicque sit onus reale, atque propterea Domino actio contra quemcunque competat possessorem? Mirifice autem hic inter se, pro more, dissentiunt Doctores; Indistincte enim quæstionem affirmant, RICHTER, *Dec. 83. n. 7.* ubi statuit, quod omnino emtor laudemia ab antecessoribus, vel præcedentibus emtoribus nondum soluta, præstare & exsolvere teneatur. Idem affirmat CARPZ. *P. I. C. 28. D. 53.* ob rationem: *Quia laudemiorum præstandorum obligatio ex re ipsa profiscitur, ut quæ causam habent a translatione dominii rei emphyteutice;* Nec non Dn. RIVINUS, *ad O. P. S. Tit. XIV. En. I.* ubi quatuor in hanc rem præjudicia affert. Sic etiam pronunciavit F. J. Lips. 1718. referente Dn. MENCKEN, *ad O. P. S. Tit. 42. th. 16. p. 688.* Cui adhuc alii, uti STRUV. *Ex. 44. th. 47. it. MARTINI ad O. P. S. Tit. 42. §. 7. n. 73. seq.* calculum suum addunt; Pro negativa autem haud pauci, non infimi subsellii JCTi, pronunciant, ex quibus nominasse sufficiat ANTON. FABER, in *C. lib. 4. tit. 31. def. 1. n. 14* de BERGER, *El. D. F. p. 1406.* & P. I. *Suppl. ad dict. Electa, p. 501. it. P. II. suppl. p. 889. conf. BERL. P. I. Conclus. 64. n. III. FRANTZK. c. tr. C. XXIV. n. 24. KLOCK. de Arario L. 2. c. 42. n. 99.* & sic pronunciavit F. J. Viti. *Mens. Maj. 1707.* adducente de WERNHER, *P. I. Obs. 328. p. 614.* ubi in fine, quod in Ducatu Magdeburg. per *Ord. Proc. C. 48. Class. I. §. 15.* laudemium inter onera realia referatur, ostendit. Si ob autoritatem, dignitatem vel pluralitatem, dijudicare velis, quorum opinio sit præferenda, admodum difficile esset;

An laudemium sit onus reale?

Quia

Quia vero nunquam videndum, quis aliquid dixerit, sed *quid dictum sit*; v. §. 2. *Instit. de emt. & vendit.* Hinc nobis etiam negativa præ affirmativa huc usque placuit, vel ex hac sola ratione, quia nulla lex est in jure nostro, quæ laudemio hypothecam tacitam concedat; Consentiant autem in hoc facile: Ubi nulla lex tacitam hypothecam concedens, ibi quoque nulla tacita hypotheca, l. 6. §. ult. C. de bon. quæ liberis. j. l. 1. C. de leg. Nov. 136 c. 3. Quæ regula omnino est notabilis, & ob paritatem rationis, ad alios casus non extendenda; Privilegia enim omnia, ceu a sola legislatoris voluntate pendentia, nullam extensionem, tam ex rationis identitate, quam ex majoritate, notorie admittunt. §. 6. de F. N. G. & C. l. 14. de leg. unde sponte liquet, quod extensio legalium hypothecarum omnium Jurisprudentum moderni temporis potestatem excedat, vid. FRANCISCUS REVERTERIUS, in *Observ. ad Donati Anton. de Marinis, Dec. Neapol. 207.* ibi: Doctores, scribit, nullam habent auctoritatem tacitam inducendi hypothecam. Duo quippe hic requiruntur conjunctim, *equitas & assistentia legis*, sine lege autem loqui erubescimus. Nov. 18. c. 5. Conf. FERDIN. CHRISTOPH. HARPRECHT, *dissert. cui titulus: Trutina XX. pignorum tacitorum, vel indubie spuriorum, vel summe dubiorum. Tubing. 1705.* In Electoratu Saxon. lis hæc sopita videtur, per *Ord. Pr. Nov. Tit. XLV. §. 1. vi* cujus omnes hypothecæ tacitæ sunt sublata; Interim tamen *d. Ord. Nov. Tit. XLII. §. 8.* in concursu creditorum *Laudemium* inter reliqua onera realia locatum deprehenditur.

§. XXII.

Ex dictis satis elucescit, qualis & quanta sit incertitudo circa casus, in Praxi obvientes, *an & in quibus* præstandum sit laudemium? sane, quo casu præsteur, regula universali difficulter comprehendi poterit, cum tota fere laudemiorum materia *vel ex lege speciali, vel conventionè, vel consuetudine* dependeat, extendatur, limiretur & qualificetur, teste KLOCKIO *de*

Casus, in quibus laudemium præstandum, regula universali, comprehendendi nequeunt.

de *Arario* lib. II. c. 42. n. 4. & laudemia in tantum sunt solvenda, in quantum recepta, & ubi non sunt recepta vel usitata, nemo iisdem gravari debet, *vid.* HORN. *Jurispr. feud. cap. XVII. §. 22.* hinc nec domino feudi debentur, SCHRADER, *de feud. P. VI. C. 3. n. 27.* nisi generalis provinciæ, curiæ, aut in isto feudo specialis adsit consuetudo, vel hoc in pactis a principio, aut postea licite convenerit, ROSENTHAL. *in Tr. & Synops. tot. jur. feud. c. 6. concl. 66. n. 5.* Et quoniam omnis conventio & jus singulare a jure communi exorbitans strictæ est interpretationis, semper, quoties quæstio oritur de laudemii exsolutione, interpretatio stricta adhibenda, & sic facienda, ut non debeatur. *vid.* CRAVETTA, *Consil. 464. n. 7.* Laudemia quippe sunt odiosa, atque hinc haud amplianda. CARPZ. *lib. I. Resp. 89. n. 25. 26.*

Dominus feudi regulariter non exigit laudemium.

§. XXIII.

Propter conventionem, consuetudinem vel legem exigi posse laudemium, constat; an vero idem cum effectu petere liceat propter prescriptionem, non abs re hic quæritur? *Constitutio nostra* sic disponit: *der Dertter aber, da sie über rechte verwehrete Zeit gewöhnlich oder sonsten erlanget und hergebracht, soll sie ferner krafft solcher Gewohnheit, Inhalts der Landes-Ordnung gegeben und genommen werden.* Certum itaque est, ob consuetudinem præscriptam solvendum esse laudemium; distincte vero nihilominus hic incedendum; scilicet *Constitutio nostra est lex prohibitiva*; Igitur non immerito quæritur: An præscriptio contra legem prohibitivam allegari possit? Affirmat hoc ex GAIL. *Lib. II. O. 31. n. 1.* RICHTER, *Dec. 83. n. 143. seq.* dicens: Consuetudinem & præscriptionem tam præter quam contra jus induci posse; Et valere consuetudinem, quæ post legem derogatoriam introducit, ex aliis probat RAUCHBAR. *P. I. qu. 34. n. 74.* Imo, etiam hoc casu, quando contra jus prohibitivum, præscriptio allegatur, sufficere ordinarium tempus, *30. ann. 6. septim. 3. diem.* præjudicio multisque allegatis probat CARPZ. *P. II. C. 3. d. 21.* Consentit PHILIPP. *Usupract. Instit. Lib. I. Ecclog. 27.* E contra Alii negant.

An ob prescriptionem exigi possit laudemium.

An contra legem prohibitivam? Affirmat alii.

E

rio

specialiter & viritim, ne forsan ex tumultuaria responsione sensus verborum invertatur, expriment, indicent & confiteantur; 3) jurejurando ab illis confirmati. MOLLER. *Lib. IV. Semestr. C. 37. n. 2.* quo Sacramento rustici vel subditi ad observationem horum librorum censualium, atque præstationem servitorum & censuum in iis contentorum, ex conventionem propria se obstringunt. HARTM. PISTOR. *Obs. 101. n. 1. 2. § 30.* cui postea contravenire non possunt, sed in semel confessum, perinde ac in judicatum parata datur executio, *l. 56. de re jud. l. 25. §. 2. ad leg. Aquil.* COLER. *de Proc. Execut. P. I. C. 3. n. 99.* facile hisce concurrentibus dicendum libros censuales plene probare. vide MENCK. *in Theor. & Praxi Pand. p. m. 694. confer. Freyess. Lebensdisp. inaugural. De libris censualibus ac judicialibus, Erf. 1680. habitata, & Lipsiæ recusa, 1718.* ac pro scriptura publica atque authentica haberi, MOLLER, *c. l. fidemque facere, PARIS de PUTEO, de redintegr. feudor. cap. 76. CRAV. Conf. 159. n. 4. BORELL. Dec. Tom. II. Tit. 22. n. 16. 18. MASCARD. de Probat. Concl. 603. n. 8.*

§. XXV.

Longe autem aliud statuendum de istis libris censualibus, Quando libri Erb-Registern, qui a Nobilibus ac Dominis, vel propria manu, ^{censuales non probant.} vel per eorum Administratores justitiæ, Berichts-Halter, privatim, non a dicitatis rusticis, multo minus occasione contradicendi hisce relicta, conficiuntur; Neque prodest, si in ejusmodi libris rustici, eorum jura, prædia, præstationes, servitia aliaque accurate distincteque descripta inveniantur; sed hisce omnibus non obstantibus, pro scriptura privata, quæ pro scribente nullam meretur fidem, reputantur, v. NICOL. *de PASSER. de privat. script. Lib. 4. c. 5. FRIEDLIEB, de priv. Script. Sect. 2 p. 69.* & contra alios, aut pro Republica & Magistratu contra subditos censuarios, si de præstandis servitiis aliisque oneribus controversatur, non probant, nec fidem faciunt ullam, v. *l. 5. 6. 7. C. de probat. COLER. de Proc. Exec. P. III. C. 1. n. 78. MATTHÆUS de AFFLICHT. Dec. 364. WESENB. P. I. Consil. 7. n. 7.* Tales quippe scripturæ dici non possunt de Archivo publico, cum Nobiles ar-

chiva & archivistas publicos non habeant. COLER. *ad Cap. ad audient. 13. X. de prescrip.* ubi pro ratione adducit, quia alias subditis facile possent strui fraus & insidia, maxime per Dominos, qui essent parum conscientiosi. Certe, uti Praxis fere quotidiana docet, ejusmodi libri Nobilium censuales, ut plurimum ita sunt scripti, ut ex iis, nec quo tempore, nec quibus presentibus, nec a quo conscripti sunt, intelligi queat; si itaque hi libri indistincte probarent, miserrima certe foret subditorum conditio, cuius enim nobili vel Domino liberum esset, in sui favorem libris Censualibus pro lubitu censum inferere, servitia insolita atque inconsueta ipsis imponere, quod admodum iniquum absurdumque esset, *vid. FRANTZK. de laudem. C. IV. n. 30.* Scriptura *scil.* privata, pro qua ejusmodi generis libri merito habendi, pro scribente non probat, exemplo enim perniciosum dicitur ei scripturae credi, qua unusquisque sibi annotatione propria debitorem constituit, *per l. 7. C. de probat.* imo hoc modo nobiles testes essent in propria causa, quibus credendum non est, *l. 10. ff. & C. de test.* ut propterea Nobiles, si praeter ejusmodi libros censuales, nullas alias adferre possint probationes, merito non audiantur. *vid. CARPZ. Lib. I. Tit. VII. Resp. 61. & P. II C. IV. def. 6.* Facili negotio plura de hac materia congerere possemus, quia vero nobis hic otium fecit *Dn. D. NAUNDORFF,* dissertatione sua inaugurali: *De Probatione laudemii per libros censuales & literas investiturae,* quam *Præs. Dn. LEYSERO Helmstadii 1728.* habuit, ad eam L. B. ablegandum esse putavimus. *j. FRANTZK. de laudem. C. IV. n. 29. usque 57.*

§. XXVI.

Quenam actio
ad laudemium
petendum
competat.
Opinio 1)

Restat, ut de actione, qua laudemium, quod licito aliquo modo petitur, exigi possit, quaedam adhuc dicamus; Deprehendimus autem etiam hic maximum inter *Dd.* dissentium; 1) sunt, qui actionem realem, sicque hanc etiam contra tertium possessorem concedunt, uti *ANTON. FABER,* in *C. Lib. IV. Tit. 43. d. 4. n. 3. & 4.* & ex eo *CARPZ. P. I. C. 28. d. 53.* Quia laudemiorum praestandorum obligatio ex re ipsa proficiscitur, ut quae causam habent

habent a translatione domini rei emphyteuticariae; Idem statuit ARNOLD de REYGER, in *Theſaur. Tom. II. ſub vocab. Laudemium. n. 3. p. m. 9.* exiſtimans, laudemia, ab antecelloribus & præcedentibus poſſeſſoribus non ſoluta, a præſenti poſſeſſore omnino præſtanda eſſe; cui accedit RICHTER, *dec. 83. n. 37.* Cum vero ſupra §. 21. oſtenſum jam ſit, hypothecariam actionem præſturuẽ hypothecam tacitam, *vid. l. 1. C. commun. de legat. de hac hypotheca autem in jure noſtro ſit altum ſilentium, horum ſententia tuta non videtur. v. KLOCK, de ÆRARIO, Lib. II. c. 41. n. 98.* In Electoratu noſtro, uti etiam dicto §. monitum, in præſentiarum hæc liſ plane inutilis, cum per *O. P. S. Nov. Tit. 45. §. 1.* omnes hypothecæ tacitæ ſublatae ſint; Et laudemii neque prioritatem, neque tacitam competere hypothecam, conſequenter, nec inde oriri actionem hypothecariam, variis præjudiciis confirmat de BERGER *Ek. D. F. p. 1405. in Supplem. ad dicta Elect. P. I. p. 500. & P. II. p. 889.* ut propterea orto concurſu, demum inter perſonaliter privilegiatos, Dominus, petens laudemium, ſit collocandus. *vid. BARTH. Hodeg. for. ed. nov. p. m. 681. n. 7.* Alii 2) perſonalem tantummodo permittunt actionem, ad petendum laudemium. SURD. *dec. 31. n. 1. ſeq. ZIEGLER, ad aur. prax. Cabv. §. nobiles, verb. laudemium. n. 299. FRANTZ. de laudem. cap. XXIV. n. 8 & n.* quæ ſententia omnino priori verior videtur, cum hæc actio, non niſi adverſus obligatum ex contractu competat, conſentit BARTH. *c. l.* Longe autem commodius eſſe, gaudere jure reali, ambabus etiam concedendum, quia tunc ſtatim rem aggredi licet, debitumque perſequi contra quemcunque poſſeſſorem, cum ubi perſona tantum obligata nobis eſt, in fine haud raro, ob inopiam debitoris, actio ſit inanis; 3) Nonnulli tam realem quam perſonalem locum habere, contendunt. v. FRANTZK. *c. l. n. 5.* Sicut vero modo adductum, perſonalem hic ſaltem obtinere; ſic novum ſuboritur dubium, *quomodo hæc perſonalis actio ſit vocanda?* Quam ob cauſam 4) quidam conditionem ex lege ſcil. *uti. C. de jure emphyteut. dicendam eſſe dicunt, quod tamen diſplicet FRANTZK. c. l. n. 25.* 5) Subſtituunt

2)

3)

4)

5)

- 6) conditionem ob causam, quia laudemium pro investitura, sicque ob certam causam solvitur, & investitura cessante, etiam huius exactio cessat. Vocant (6) alii hoc remedium conditionem ex moribus, referente *Magnif. Dn. LEYSERO, Spec. ad π. CIV. Coroll. 2. p. 410.* Ad quam subsidiariam actionem autem confugiendum ipsi, opus non videtur, quia actionem ordinariam ex contractu, nimirum 7) *emphyteuticarium*, quæ hunc in finem institui posset, habemus.

§. XXVII.

Conclusio.

Hæc sunt, L. B. quæ de hac eleganti & in foro frequentissima materia, in medium proferre voluimus; Multa equidem scitu atque notatu digna colligi adducique potuissent, imo, uti forsitan haud paucis videbitur, debuissent; Et nos ipsi non diffitemur, ab initio elaborationis susceptæ longius excurrere animum nobis fuisse, cum præprimis circa *bona feudalia, censualia, Majoratus, Meyer-Güther* &c. amplissimus dicendi campus sese offerret; Putavimus etiam tractare *de laudemio, a casu ad casum non extendendo* &c. quia vero præter spem atque opinionem materia excrevit, limites dissertationis Academicæ non excedere, sed potius solum abrumpere, inque dictis acquiescere debuimus. Si a nobis erratum esse deprehendes, veniam dabis; Homines sumus; Et errare humanum; In omnibus enim irreprehensibilem esse, & in nullo penitus aberrare, divinitatis potius, quam humanitatis opus esse, merito creditur, *l. 2. §. 14. C. de V. F. E.* Ubi itaque L. B. unum alterumve *Tibi* minus recte positum videbitur, pro candore tuo, ut illud modeste emendes, rogamus, quo ipso efficias, ut moniti meliora lubentissime simus secuturi; Discendi enim cupiditatem nobis nunquam negligendam esse, etsi alterum pedem in tumulo jam haberemus, dudum edocuit magnæ autoritatis *J. C. P. Pomponius in l. 20. de fideicom. libert.*

Nos interim pro concessis benignissime viribus *Numini* *Immortali* devotissimas persolvimus gratias.

F. I. N. I. S.

Ad
*Virum Prænobilissimum, Amplissimum
 Consultissimumque*

DOMINUM

DN. CHRISTIANUM MANTEY

Camerarium pariter ac Membrum inclyti Senatus
 Budissensis longe dignissimum

*Fantorem suum astumatissimum
 Præses.*

Quem ante triennium, & quod excurrit, fidei meæ
 concredidisti, filium, TIBI, VIR AMPLISSIME,
 his literis remitto; Et quoniam, quod quidem plus
 simplici vice in votis habui, sermones *Tecum* mi-
 scere huc usque mihi non licuit, quæso, haud gravatim per-
 mittas, ut, quæ hactenus sæpe in literis ad TE exaratis, pri-
 vatim tetigi, inpræsentiarum referam publice: Sane, VIR
 AMPLISSIME, exemplo TUO omnium optime ostendisti,
 quid sibi illud tritum velit:

Omnis in Ascario chari stat cura parentis.

Ipse filius hac occasione sua sponte didicit, quod gravissime
 pronunciat *Imperator Justinianus*: Nullum esse, qui vincat
 paternum affectum; sedulo, cujus ego sum testis locuples,
 eum es hortatus, ut temporis, tanquam damni irreparabilis,
 rationem haberet; Diligenter, ut consilia Tua, quæ alias in
 jure nostro, pro optimis habentur, probe custodiret, eum
 monuisti; Semper, ubi opus fuit, ea, sine quibus studia debi-
 to modo ad finem optatum perducere nequeunt, suppeditasti
 libenter; Imo, quod primo loco dicendum erat, quamvis
 magna atque egregia res sit eruditio, & multum mereatur
 laudis, filio tamen omni tempore inculcasti, longe excellen-
 tius esse innocentia præstare nitereque virtutum luce, ac bene
 vivere

vivere potius, quam multa scire; hinc ne ullibi, nec unquam a virtutis tramite aberret, sed ubique illasam conscientiam servaret, ac omnia, per quæ seduci posset, summo cum studio calcanda, abjicienda, detestandaque esse, constanter mandasti, nullibique aliquid ad illius salutem promovendam omisisti; Quod autem mearum partium fuit, quomodoque ego spem, quam de me concepisti, VIR AMPLISSIME, adimpleverim, verba facturum non sum; Ipse loquatur *Noster*, quam sincere illum præ multis aliis æstimaverim; Quam sedulo eum, ut monita paterna curæ cordique ipsi essent, ut tempori rite inserviret, quo exantlatis laboribus Academicis, Patri & Patriæ ex voto chari Parentis prodesse queat, commonefecerim; quam cordate in instruendo & consulendo erga eum me gesserim? quorum similibusve testis esse debet authenticus; Loquatur simul specimen quod edit abiturus, non adeo vulgare & tritum, utile tamen omnino atque practicum. Vitam alias academicam *Noster* pie atque tranquille hic peregit; Bene ab initio statim observavit, saepe malis seculi moribus aberrare multos, & viam ingredi haud optimam, fallereque Patriæ spem, & turpitudine quadam degenerare ac sæde prolabi; Quos summa animi contentione devitare studuit, & vita exemploque expectationem nostram sustinuit, doctrinaque elegantes & a natura doctes ornavit pariterque auxit. Modestia sua plane singulari facile animos aliorum *Sibi* conciliavit, ac pacifice cum quovis vixit, ut nullus dubitem, si *Ipsi* via, qua Reipublicæ inservire queat, aperiat, utilem operam præsiturum fore. Id quod animatus voveo, me autem ulterius favori TUO, VIR

AMPLISSIME, relinquo. Vale! Dabam Lipsiæ
e Musæo, Mense Martio. A. R. N.

CIO 1000 xxxi.



Leipzig, Diss., 1731 A-L

X 241 7843





Russ. G.

1731, 14.

DISSERTATIO JURIDICA
DE

LAUDE MIO

OCCASIONE
CONSTITUTIONIS ELECTORALIS SAXONICÆ

Son der Lehn = Maare

QUAM CONSENSU

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRÆSIDE

DN. ABRAHAMO KÆSTNERO
JURIUM DOCTORE ET PRACTICO

MODERATO ERUDITORUM EXAMINI

SUBJICIT

AUTOR, RESPONDENS

CHRISTIANUS GOTTLOB MANTEY

BUDISS. LUSAT.

—
DIE XXX. MARTII A. O. R. MDCCXXXI.
—

LIPSIÆ

TYPIS JOH. HENRICI RICHTERI.

